

venientia cum ipso fine; quo pauciores sunt exceptiones, eo plures sunt regulæ, quæ ad finem ipsum tendunt.

VI. Explicata perfectionis, vel bonitatis transcendentalis definitio scholasticorum definitione latius patet. *Bonum* apud Metaphysicos omne ens dicitur, quod habet quidquid habere debet, ut eum usum impleat, ad quem a supremo rerum omnium Conditoro destinatum est; quia autem in operibus suis falli non potest Creator, omnia entia sunt metaphysice bona, illa enim bonitas metaphysica est omnino necessaria; & quidem si ens desinat habere id, quod in suo genere habere debet ut fini Creatoris respondeat, tum desinit esse id ad quod fuit destinatum. Scire datum non est mortalibus quidquid Deus in singulorum entium creatione sibi proposuit, neque etiam cognoscere licet intimam entium substantiam, omnesque eorum proprietates: quare evidens est abstractam & confusam esse vulgarem bonitatis metaphysicæ notionem, atque ad ipsam duntaxat essentiæ perfectionem pertinere; nostra autem definitio perfectionem quamlibet complectitur, non eam duntaxat, quæ ex attributorum essentialium convenientia pendet, sed continet quoque perfectionem *relativam*, quæ ex mutua entium relatione varioque partium ordine constituitur. In eadem definitione continetur etiam perfectio seu *bonitas moralis*. Et enim vita moralis hominis ex liberarum actionum serie & ordine componitur, eaque considerari potest tanquam totum ali-quod, cujus partes sunt actiones singulæ.